31

INNOCENTIVS XI.

PONTIFEX OPTIMVS MAXIMVS

Tribus Elogicis Inſcriptionibus expreſſus,

E T

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. LIVIO ODESCALCO

Supremo S. Rom. Eccleſiæ Militiæ Principi,

CERENSI DVCI &c.

EIVSDEM GLORIOSISSIMI PONTIFICIS

EX FRATRE NEPOTI

SVO DOMINO COLENDISSIMO

A. P. F. C. R. D. L.

DICATVS.

ROMAE, MDCLXXXIX.

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI VANNACCII,

SVPERIORVM PERMISSV.

Benedictus qui venit in nomine Domini.



Me autem propter Innocentiam suscepisti.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

EA fuit INNOCENTII Vndecimi Pontificis Optimi Maximi, Excellentiæ Tuæ Patrui, virtus, vt

non ſolùm meam infantiam ad illum preſsiùs ſcribendum ſuauiter alliceret: verùm inconcinnam ſcriptiunculam Tibi ad ſiſtendum, vt tota animi alacritate, ac reuerentia ſiſto, me vndequaque immeritum, & incognitum fortiter etiam impelleret. Cùm verò Sanctiſſimo Patri ſis, non tàm præclariſſimo Sanguine, quàm virtute proximus, quìn mihi, vt enixè Te rogo, æqui, bonique faciens audaciam, munuſculum à rudi meo calamo perexiguum, ſed à Glorioſiſſimi Commendati meritis maximum, æqua excipias fronte, non dubitandum. Præterquàm quod Amplitudini Tuæ, atque adeò Humanitati apprimè conſentaneum, benignè donantis exilitatem aſpicere, futilis ſtyli tenebras, cordis candore pro viribus eliminare conantis.

Inte-

Interim ego inter communes, lætosque plausus, etiam, atque etiam Tibi gratulor, Purpurei Sacri Senatus votis, ad totius Vrbis, ac Orbis votum, Supremi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ militiæ Principatus muneribus insignito, quibus iampridem vtique potitus fuisses meritissimus, nisi Amantissimus Patruus mereri ipse apud Altissimum, vt semper erat in votis, in hoc maluisset. Nam etsi Te Nepotem vnicum vnicè diligeret; præualuit tamen in Illo, vt par erat, aduersùs Dominum Crucifixum feruens dilectio, cui suum in Te Amorem Sui Victor libentiùs litauit. Id ipsemet Sanctissimus Prælato Fide dignissimo disertè testatus. Illis igitur, opportunis videlicet Tuo Statui, benedictionibus replearis, quas olim meruit Isaac Patris iussis promp-

tus obtemperans, iuxtà Domini præceptum Domino ipsum litare volenti. Exaudiat me Dominus. Tibi humillimè venerabundus hìc sileo.

INNO-

INNOCENTIVS XI.

Cur non Optimus, non Maximus,
BENE, nedùm INNOCVE
Qui viuit, quò iuuet:
Iuuat, quo viuat Aeternùm?
Verè Optimus,
Non tàm nomenclatione, quàm voluntate.
Semper Maximus,
Si numquam Orbis inhærens minimis,
Eius proterit gloriolam.
Mente Cœlo contermina, patrat iugiter
Maxima quæque Principis, ac Pontificis.
Optimus, præſertim quia voluit:
Maximus, quia potuit
Ab Ottomanica Immanitate
Chriſtiadùm tutum reddere Orbem.
Totus, vbi de toto agitur aſſe.
Fidei Propugnatores ferro,
Ipſe ingenti auri pondere in illis pugnat.
Armis illi Vrbes ab hoſte iniquè poſſeſſas,
Prece ipſe flagrantiſſimus Cœlum obſidet.
Impium ſanguinem illi,
Ipſe pias fundit Lacrymas.

Interim

Interim hoſtis vincitur, Cœlum triumphat.
Diceres
Illos ab Vrbis Tutelari Archangelo
Gladium mutuatos: Lancem Ipſum:
Adeò iuſtè, ac ſtrenuè bella geruntur, iuſtis librantur præmijs.
Mirum:
Pontificis, Propugnatorum, eadem luce, magis luceſcit virtus:
Budam Gladio expugnantibus illis,
Ipſe, Diuino afflatus Numine,
Eximiam Virtutem æqua lance compenſat,
Dùm Purpuratorum adauget numerum.
Ac ſi Michael ipſe vtrobique
Vtroque Principe ſimùl fungeretur munere.
Sic vtraque Iuſtitia, Vindex, Diſtribuens
Vtrobique nec non triumphare viſa.
Ita recentibus Purpuratis efficaciùs impreſſum
Quò rubrùm pertineat paludamentum.
Nec tàm ingens Purpurei Senatus auctio,
Et numero, & merito,
Niſi inſigni ſocianda Victoriæ.
Hinc
Par Vrbis, & Orbis gaudium:
Non impar ſit gratus animus in Pontificem
Ferè Priſcis Leonibus, & Gregorijs non imparem.
Qui legitis,
Dicite Iuſto quoniam BENE.

INNO-

INNOCENTIVS XI.

Viſibile Eccleſiæ Caput,
Myſtico Inuiſibilis Sponſi Corpori,
Vt ſibi, oculatiſſimus præeſt.
Hinc
Inuiſibilibus ſolùm inhians,
Quidquid viſibile ducit flocci pendendum.
Carnem, & Sanguinem non reſpicit;
Benigniſſimè à Iudice Superno reſpiciendus.
Nulli ipſi curæ ſuorum incrementa:
Ideò fecit Illum Dominus creſcere in Plebem ſuam:
Vt Meritis apud Altiſſimum:
Sic vbique Terrarum creuit fama.
Vel abſciſſa è Corpore membra Nouatores
In ſui admirationem, ac dilectionem trahit.
Quot Capita, tot perfidæ eorum ſententiæ:
Vnica tamen in hoc Supremo dilaudando Capite.
Mirabilius.
Venerabile ipſius Simulacrum,
Bizantij Turcica bacchante Plebe,
Ludibrijs, ac incendio deſtinatum,
Venerabundus Ottomanus lædi non ſinit.
Vnde meritò
Validiſſimo, ex hoc Eccleſiæ Capite
Mirabilia Corpus in totum defluunt bona.
Longè, latèque Chriſti magis clareſcit Fides,
Firmatur Euangelium: vt verè dixeris
Teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius.

De hoc Minorũ Conuent. Pater Miniſter Prouincialis ibidẽ cõmorans Em. de Laurea datis literis certiorem fecit.

Bina prædicta inſcriptiones feliciter Regnanti ſcripta fuere: ſequens Poſt feliciſſimum Obitum.

INNO-

INNOCENTIVS XI.

Ortus.
Luce Petro Cœleſtino ſacra in lucem editus,
Vel ſibi è cunis Petri Cathedram auſpicatur,
Vitam Cœlitibus non abſimilem.
Creatio.
Quod Sanctiſſimus ſua luce præſignauerat Pontifex,
Hoc Apoſtoli, & Euangeliſtæ perficiunt natalitia.
Nec ſine Numine,
Vt exitus probauit vberrimè.
Nàm Apoſtolico Viro,
Vt nil antiquius, quàm Euangelij fidem diligere,
Sic illam totis propagare viribus nil iucundius.
Humilem in Summi Pontificatus apicem euectum
Coronatio.
Humilis in Terris coronat Franciſcus:
Vbique Terrarum omnimoda virtute Clariſſimum
Obitus feliciſſimus.
Clara Virgo feliciter obeuntem coronat in Cœlis.
At Filia Seraphica, Seraphico Patre æmulatrix felicior:
Ille priſco more Quiritùm, ac ſi clypeo coronaſſet
Neoptolemum ad prælium:
Hæc ad triumphum, Iuſtitiæ coronam impoſuit.
Sed à prælij laboribus feriatus,
Quem mirificè coluit, auxitque cultum
Præſertim eius officium ſub ritu duplici celebrandum ſtatuit.
Triumphat glorius inter Caietani ferias
In Cinere, & Cilicio triumphantis.
Etenim ab huiuſmodi Sanctimoniæ Triumuirati cinere
Sibi vileſcere didicerat, eſſe cinerem.
In Numen Exanime Fixum
Amorem illorum æmulantem, firmamque fiduciam,
Patienti Domino Fixum dixiſſes compatientem.
In maximè arduis, ſat notis Orbi,
Hinc Illi robur, pectus imperterritum.
In Chriſti ſui Faciem in omnibus reſpiciente,

Quid

Quid iuſtius, Quid firmius?
Ab ipſo denique in ſpe ſingulariter conſtitutus,
Die Veneris, qua Dilectus, horaque nona,
In ipſius Pace dormit, & requieſcit.

Eadem verba Fato proximus ſubmurmurare auditur.

LAVS DEO.

Il Sig.r Gioachino Bezozzi
Ab.e di S. Croce Donato
dal P. Santo Canale della
Compagnia di Giesù Autore
come si dice, di questa difesa
a favore dell'Immacolata
Concezione della B.ma Vergine